

4

Lib. I. Cap. I.

potest, teste Aristot. sicut v. g. de voluptate potest probare, quod sit fugienda & expetenda, ex diversis tamen principiis. At verò hoc non toti Logicæ competit; neque enim analytica, quæ ex necessariis argumentatur, utramque partem contradictionis de eadem reprobare potest, sed alterum solum; unde facultas, non est totius Logicæ genus. Excluditur (2.) habitus instrumentalis, neque enim hic est genus Logicæ, non quidem quasi cum arte non possit simul consistere, sed quia repugnat naturæ Logicæ. Nam ea habitus instrumentalis natura, ut totius sit propter alium habitum ejusque finem, sibi que ab illo præscribi patiatur, sicut frenifactoria tota est propter equestrem, sibi que ab equestri præscribi patitur, quomodo scilicet frenum sit conficiendum: at verò tantum abest, ut Logica sibi præscribi patiatur, ut ipsa potius præscribat aliis disciplinis, v. g. quomodo in primâ figurâ efficiendus sit syllogismus, ut scilicet minor fiat affirmans, major universalis &c.

6. Dicitur 2. in definitione: *inveniendi veritatem vel opinionem*: id quod fit efficiendo conclusionem vel scibilem seu demonstrabilem, vel probabilem. Hisce significatur differentia Logicæ. Cave autem hoc ita intelligas, quasi veritas vel opinio sit differentia Logicæ hoc enim falsum esse, vel ex eo perficitur, quod differentia de specie suâ prædicari apta, est

*Solet et hæc afferri, quod  
Log. aut è speculativa aut practica, sed nò  
pract. aliis idem est et cū artib. mechanicis  
quæ sūt effectiva, vel activa et vit. ò ethi.  
v. polit. È è speculativa.*